DE RESORPTIONE PLACENTAE
NOVIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSIOL.-OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. MARTII A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUSTAVUS PHILIPP
CIZENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. BERNHARDI, MED. ET CHIR. DR.
E. FITZAU, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PARENTIBUS AMATISSIMIS

HOCCE

PIETATIS DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Disseram hic de re, quae non multo ante demum observatorum animos ad se advertit et de qua multi adhuc adeo dubitant, ut, quodcunque lucis aliquid huic rei affundat, expetendum videatur. Quod scio, ante hujus saeculi initium palam non factum est, placentam in utero relictam probabiliter esse resorptam; Osiander auctorem se profitetur, qui primus medicos ad hanc rem attenderit anno 1825. Ex illo tempore plures observationes, quae ad nostram rem pertinent, memoriae proditae sunt eaeque ab auctoribus valde eminentibus, quorum major pars, placentam relictam pro re nata resorberi, judicat. Quod si probatur, usui medicinae salutiferum est. Plurimae observationes, quae partes in utero relictas paulatim exarescere et prorsus disparere docent, in animalibus, praecipue vaccis, factae sunt, quarum memoria dignissimas, quas ab auctoribus descriptas reperi, apponam hisque novas addam, antea autem ostendere studebo, causas, quae ad liquorem vel partem solidam, exempli gratia placentam, resorbendam necessariae sunt, in utero adesse. Iis organis, in quibus vasa lymphatica deprehendi non poterant, placenta cum membranis, quae foetum involvunt, et funiculus umbilicalis semper adnume-

rabatur; nam etsi jam Michaelis, Uttini, alii haec vasa se vidisse contenderunt, Hunterus tamen, Hewson et Mascagni dissenserunt et Fohmann primus fuit, qui oculis ea submisit, nam haec scripsit: „funiculus umbilicalis constat vasis sanguinis exceptis ex plexu vasorum lymphaticorum, qui tam densus est, ut non acum, illa non laedentes, intrudere possimus. Nihil facilius quam implere hunc plexum hydrargyro. Intrudamus tantum oportet tenuem sagittam sub funiculi umbilicalis vaginam et per tubulum tenuem illud metallum immittamus. Qui plexus eo facilius impletur, quo major est copia gelatinae Whartonianae, cujus causa verisimiliter in eo posita est, quod hic liquor non continetur nisi in vasis lymphaticis et haec extendens impressionem hydrargyri adjuvat. Ea funiculi umbilicalis parte, quae placentae est proxima, hydrargyro impleta, interdum, si metallum per sagittam in placentam imprimitur, inter placentam et amnion oculis subjicitur plexus vasorum lymphaticorum; rami inde in corpus placentae intrantes raro animadvertuntur, attamen hos superficiem uteri internam attingere, veri est simile. Ex annulo umbilicali haec vasa copiosa per corpus foetale sese propagant." In utero ipso vasa lymphatica adesse, a nullo dubitatur et quae sit eorum vis atque natura, E. H. Weber his dicit: „duplex est modus resorptionis per vasa; alter, vasis lymphaticis proprius, qui locum habere etiam potest, cum haec vasa vacua sunt, vi et motu parietum vasorum lymphaticorum, alter vero, qui in venis aut in universum in vasis tenuioribus parietibus praeditis maxime conspicuus est, neque tamen in vasis lymphaticis plane negari debet, nonnisi in vasis sanguine aut alio humore fluente

plenis locum habet, in eoque positus esse videtur, quod humor vasa permeans materiam attrahit et ad alia corporis loca fluendo deportat. Magnopere vero haec resorptio a sanguinis attractione pendens necesse est ut augeatur, si vasa minima tenerrimis parietibus praedita sanguine prorsus impleta sunt."

Venarum placentae vim resorbendi permagnam esse, ex nutritione foetus satis apparet, nam in quo alio est circuitus sanguinis in placenta, nisi in absorptione venarum? quum venis atque arteriis placentae maternae et foetalis nihil commune sit. Consideranti, uterum et gravidum et paulo post partum sanguine turgere indeque omnia vasa mirifice esse extensa, constabit, quo gradu vasa sint dilatata, eodem ipsorum vim absorbendi esse majorem. Neque quum placenta organismo animali corpus sit alienum, quamdiu illi arcte adhaeret, vasis quoque lymphaticis partes resorptionis deferre licet, praesertim quum chylus et sanguis effusus verisimilius ab his resorbeantur, quam a venis. A. Numann et plura exempla, foetus animalium in utero relictos exaruisse et corrugatos esse et quae in his observavit, memoriae prodidit. Prima conditio foetus exarescendi est, ut liquor amnii et allantoidis dispareat, nam ut liquidae foetus partes evaporent, quae foetum circumdant, aridiora sint oportet, quam ipse, quod eo fit, ut humores fluentes per uteri parietes, quos membranis ovi dissolutis contingunt, absorbeantur, quamvis interdum per vaginam effluere possint. Quibus humoribus remotis, partes corporis fetus liquidae cutem foras permeant itemque utero imbibuntur. Auctor (Numann) hic addit, si uteri vis absorbendi non satis sit magna, foetum putrefieri; quod

tamen in alia certe re positum est, uti etiam exempla a Caro enarrata testantur. Putrescit enim foetus, si aër externus non arcetur, itaque omnes putrescendi conditiones, humor, calor et aër adsunt; corrugatur autem probabiliter, sin aër externus intrare non potest.

Omnino facta a Numann tradita primum docent, eas partes, quae in superficie sitae sunt, maxime esse corrugatas et aridiores interioribus et deinde jam paucis hebdomadibus post has mutationes perspicuas esse. Carus multa collegit exempla foetuum animalium, qui longius tempus post mortem in utero detenti, aut indurati et exsiccati, aut dissoluti inveniebantur, ut nihil nisi ossa restaret.

Ut nonnulla afferam, veterinarius quidam Francogallicus, nomine Huzard, commemorat vaccam, quae, quamquam magnos partus dolores habuit et liquor amnii defluxit, quin adeo anteriores vituli pedes intra labia majora jam apparuerunt, tamen non peperit, sed per quindecim circiter menses adhuc fetum in utero gessit, unde non parvi dolores ei hoc tempore nati sunt. Post mortem fetum tam arcte utero inclusum repererunt, ut nusquam spatium liberum esset interpositum, et membranae uteri mucosae ita adhaerentem, ut integer solvi non posset. In universum partus pondus minus esse videbatur, oculi collapsi, membranae bulbi in orbitam retractae, nec ullum humoris ne lentis crystallinae quidem vestigium animadvertendum. Os tincae firmiter fuit occlusum, ut aër externus intrare non posset. Status capitis inusitatus impediverat, quominus partus in lucem ederetur.

Secundo Gilbert commemoravit, in utero vaccae occisae ossa vituli circiter quinque mensium omni carne

destituta esse deprehensa, nec minimum hujus status signum antea in vacca animadversum.

Tertio Thom. Bartholinus narrat, apud vaccam graviditatis signa inter partum repente disparuisse ejusque abdomen, vitulo non edito, collapsum esse. Paulo post, quum vacca caederetur, ossa vituli nuda et exsiccata inveniebantur.

Quarto M. Schermann refert, vaccam adeo infirmam fuisse, ut mors ejus in propinquo esset, repente autem cibo libenter utitur et tam brevi vires recuperat, ut post sex circiter menses lanio vendatur, qui vituli ossa omni carne, quin etiam cartilaginibus prorsus destituta et arida in utero reperit. Exempla haec non rara in animalibus observata sunt; utrum vero in hominibus etiam partes fetus carnosae prorsus dissolvantur et tabescant, non satis constat; certe similia observata sunt. In libellis academiae Joseph. med. chir. Viennensis (1787) scriptum legimus, militis uxorem undecimo demum graviditatis mense per tres dies dolores sensisse et liquorem amnii edidisse, minime autem peperisse. Hinc ea per annos quatuordecim et dimidium bona utebatur valetudine, motum tamen exercens corpus grave in abdomine quasi pendens sentiebat. Pluribus annis post (1786) typho defunctam idem medicus, qui prius parturienti auxilium praestiterat, coram pluribus testibus secuit et haec invenit. Collum et orificium uteri osseum, uterum ipsum cum amnio et chorio et fetus pelvi arcte coalitum; integumentum commune, musculos et omnes, quae fetum extrinsecus circumdabant partes prorsus osseas; praeterea nasus, os, aures, medulla oblongata, cavum thoracis deerant *neque placentae vestigium ullum animadvertebatur.*

Simile quid a Moreau traditur: Mulier sub finem mensis noni dolores patiebatur, liquor amnii effluebat, sed parere mulier non poterat et partum inde per annos triginta duos gerebat. Cadavere secto, fetum maturum et bene conservatum in capsula ūteri ossea reperiebant, praeterea autem ossa partus immaturi in sua capsula, quae extrinsecus tantum corpori uteri adhaerebat et cujus parietes hoc loco valde tenues et perforati erant. Quod quamvis dissolutioni partium mollium verae favere videatur, tamen cogitandum est, partum immaturum non stricte cavo uteri inclusum fuisse et potius liberis abdominis fetibus adnumerari debere, quod de exemplis quoque a Schurgio allatis dici potest. Hic enim inter alia in capite „sceleta diu in utero remanentia" inscripto narrat, fetum per sex annos in alvo matris versatum, lepra matris acri omnibus partibus mollibus destitutum esse, ita ut non nisi ossa restarent.

Transeo ad eam dissertationis partem, quae disquisitura est, quid adhuc de resorptione placentae hominis palam factum sit. Ut jam supra commemoratum est, Osiander Gottingensis se profitetur auctorem, qui primus medicos in libro „die Anzeigen zur Hülfe bei unregelmäfsigen und schweren Geburten", anno 1825 edito, ad hanc rem attenderit, quamvis non dubitet, quin jam dudum res ipsa singulis nota fuerit. In hoc libro scribit: interdum vidi, et deciduam et reliquas membranas solutione et resorptione tabuisse, nam earum partium, quae sine dubio in utero relictae erant, nullum vestigium in lochiis animadvertebatur. Quod attentionem auctoris ad hanc rem primum advertit, hoc fuit:

Observatio prima (Osiander).

Anno 1824 ad uxorem civis hujus urbis arcessor, quae jam saepe pepererat, tunc autem num esset gravida, dubia haerebat. Aliquando inter eundum sentit, ex naturalibus suis aliquid prolabi, quo perterrita domum redit. Reperio fetum longitudine digitali, qui ex longo et tenui funiculo umbilicali inter femora pendet; intuitu accuratiore compressus, semimaceratus et sine dubio jam dudum mortuus apparet. Parcus fluxus sanguinis, qui abortum hunc inopinatum secutus est, me adveniente paene prorsus desierat. Funiculum umbilicalem caute protrahens, placentam parvam conor movere, quod non contingit, nam funiculus umbilicalis tenuis discinditur et quum uxor valde sit impatiens, membranae ovi vel placenta relinquantur oportet. Altero die cum collega Stromeyer investigo, num ne fortasse placenta sit in orificio uteri. Hoc reperimus apertum et manu alvum comprimente, digitus index attingit massam solidam, quae nihil aliud nisi placenta parva esse potuit. Quum nec multus efflueret sanguis, neque aliud adesset periculum, quod ad agendum invitaret, forcipe, quo placenta educitur, uxori dolores afferre dubitavi et exspectavi, quid natura efficeret. Quarto die post abortum uxor e lecto surgit, ut negotia domestica curet, nec querelam edit; lochia valde sunt exigua. Post viginti circiter dies, affirmante uxore, prorsus nihil, neque solidum nec cruentum, in lochiis conspicuum fuisse, quamvis accurate ea perspexerit, iterum rem investigandi consilium cepi. Inveni autem orificium uteri

tam arctum, ut porro digitis explorare desisterem et mihi persuaderem, placentam veluti dentis radicem resorptione tabuisse. Paulo post menses tenues redierunt et uxor, quae adhuc placentam remansisse contendit, convaluit, in posterum autem non peperit.

Observatio secunda (Naegele).

Anno 1803 primipara vicesima quarta vel sexta graviditatis hebdomade facilem partum edidit. Infans plures per horas vixit. Post partum parcus tantum sanguis effluxit, placenta remansit. Funiculus umbil. longus tenuisque erat discissus et, ut videbatur, eo loco, quo placentae inseritur. Obstetrix anxia ac sollicita per novem dies noctesque fere continuo apud puerperam commorabatur, quae omnino diligentissime curabatur. Per quatuor tantum dies lochia tenuia et odore carentia secesserunt et viginti quatuor horis post partum febricula sine abdominis doloribus accessit. Post undecim hebdomades menses redierunt et duobus circiter annis interjectis femina iterum infantem maturam peperit.

Observatio tertia (Naegele).

Simili ratione res sese habuit in abortu fere incruento, sine vi violenta effecto, anno 1811. Tertio die febris accedit, quae mox autem abit. Nullus dolor ab-

dominis, ex naturalibus nihil effluit, nullum placentae abeuntis vestigium. Post novem hebdomades menses redeunt.

Observatio quarta (Naegele).

Anno 1828 auctor ad uxorem arcessitur, quae pridie secundo pepererat et placenta relicta multum sanguinis profuderat; placenta fuit in sacco condita et uterus clepsydrae instar contractus. Triginta horis post partum uterus satis arcte erat contractus, sed non clepsydrae instar, lochia admodum foetida, in orificio uteri placentae pars deprehendenda, quam auctor arte movere studuit, vix autem dimidiam partem solvere potuit, altera restitit. Haemorrhagia non redibat; infus. fol. Salviae, quod saepius siphonis ope infundebatur, parvum tantum cruorem eliciebat. Viginti quatuor horis post operationem febris gravis accedit, conjuncta cum cephalaea vehementi, abdominis dolores desunt, nullum lochiorum vestigium, mammae flaccidae. Tertio die mammae turgescunt et lactis aliquid secernitur, quod infans respuit, deinde febris levatur et lactis secretio prorsus desinit. Nono die post partum oculus sinister ita inflammatur, ut, quamvis accuratissime curetur, videndi facultatem amittat. Hebdomade decima tertia menstrua mulieris redibant et tribus annis post sanum peperit puerulum, quem placenta facile secuta est.

Memoratu dignus videtur in hac puerpera nexus causalis ophthalmiae, intermissionis et remissionis lochiorum.

Observatio quinta (Salomon).

Primipara d. X m. Martii a. 1826 partum mortuum nec satis maturum ediderat. Gravidae nihil insoliti acciderat, exceptis parcis haemorrhagiis, quae ab hebdomade graviditatis quinta interdum apparuerant. Duabus hebdomadibus ante partum fetus se movere desierat. Quum statim post partum uterus tam arcte esset contractus, ut vix digiti duo inferri possent, placentae expulsionem naturae committere placuit, praesertim quum parcus profunderetur sanguis. Post horas viginti quatuor prof. Salomon arcessitus uterum prorsus contractum invenit et funiculum umbilicalem tenui tantum filo placentae adhaerentem. Die XVIII m. Martii mammae aliquanto tumidae, abdomen tensum sed non grave, lochia desunt, uterus et orificium uteri arctius etiam contractum, posterius ad os sacrum conversum. Die 19. Mart. febris persistit. Die 21. Mart. conspicui naturae labores ad placentam expellendam, lochia foetida, fusca defluunt ex collo uteri parva placentae pars removetur; die 22. Mart. alia; nulli dolores, lochia pauca et foetida, febris et inquies fortis. Die 23. Mart. febris increscit, lochia desunt, uterus alte in pelvi propendet, os tincae fere totum occlusum. Die 24. febris denuo augetur, magna anxietas, colica, sudor profusus, lochia modica, fusca, foetida, abdomen tumidum, grave, orificium uteri clausum. Die 25. status fere idem, lochia rubra. Die 20. debilitas magna, rari dolores et parca fluxio sanguinis. Die 28. febris fortis, graviores dolores, dyspepsia et flatus puerperam cruciant,. Die 29. Vomitio acidae materiae, do-

lores augentur, ex naturalibus nihil effluit, febris lenta. Die 1. M. Aprilis repetitus fortisque vomitus materiae viridis, mucosae, acidae, qui statum aegrotae aliquantum sublevat; febris mediocris, abdomen valde tumidum dolore vacat; ex naturalibus nihil secedit; omnia symptomata inflammationis summa cum debilitate conjunctae. Die 2. et 3. M. April. alvus fluens, viridis, magnopere foetida, febris et dolores remittunt; magna imbecillitas, lochia deficiunt. Die 4. et 5. alvus fluere desinit, febris blanda. Die 6. status multo laetior; uterus bene contractus et in formam uteri non gravidi redactus, portio vaginalis verrucosa, ut mense graviditatis septimo, ostium uteri fere totum clausum, lochia satis larga et fusca. Inde puerpera convaluit et nihil ex vagina porro effluxit. Medio mense Majo, pristina aegrae sanitate restituta, menstrua constanter redierunt. Quamvis continuo inter morbum ad placentam medici diligentissime animos advertissent, nunquam tamen ullum ejusdem vestigium conspectum est; quam nihilominus adfuisse, constitit. Nihil igitur superest, quam ut resorptioni confidamus.

Hanc placentam retentam non putrefactam esse, ut fieri solet, auctor profert, primum quod placenta superficiei uteri internae firmiter adhaeserit, deinde quod jam altero die portio vaginalis ad os sacrum se converterit itaque aërem externum arcuerit, qui, ut materia putrescat, maxime valet. Maximum periculum aegrae tunc demum exstitisse perspicuum est, quum resorptio inciperet, quae febri aucta, doloribus abdominis, alvo liquida et vomitu significabatur; quod resorptione in corpus transierat, illa ratione ex eodem esse remotum, probabile est.

Observatio sexta (Gabillot).

Mulier viginti octo annorum, tres partus enixa, medio graviditatis mense quinto abortum fecit. Fetus vixit. Placenta, quum fundo uteri firmiter esset affixa, remansit. Tertio die febris quae vocatur lactea non exigua accessit, abdomen fuit paululum tantum grave et tumidum. Lochia pauca et tenuia odore carentia. Nullo modo animadversum est, placentae aliquid abiisse et Gabillot putavit per quatuordecim dies, geminos in utero fuisse. Puerpera autem convaluit et quarto mense, quum menstrua rediissent, denuo alvum prae se tulit. Partum, quem tunc edidit, placenta facile secuta est.

Observatio septima (d'Outrepont).

Mater trium liberorum, animo perturbata, fecit abortum. Fetus mortuus fuit. Placenta, quum collo uteri in latere dextro affixa esset, moveri non potuit. Neque haemorrhagia nec dolores. Secale cornutum statum non mutavit. Uterus magnopere contractus magnitudinis pugni fuit, puerpera bene se habuit, lochia rubra, non foetida, orificium uteri tam arctum, ut digitus index vix intrare posset. Digito investigante funiculus spermaticus et pars membranarum ovi procidebant. Quamquam secale cornutum denuo porrigebatur, tamen dolores cesserunt, nec quidquam per vaginam abiit. Nocte diei quarti modica accessit febris, lochia pauca, non foetida, subrubra, orificium uteri totum clausum; mulier convaluit. Post septem

hebdomades menstrua redierunt, quae postquam ter in conspectum venerant, mulier iterum concepit et suo tempore peperit infantem robustum, quem placenta statim secuta est. Qui auctor, placentae resorptionem manifestam esse ratus, ut uteri facultatem resorbendi probet, alibi quoque partem corporis secernentem, vim, quae secreverat, resorbendi non amittere adnotat, verbi causa mammas, lacte quominus effluat impedito, vesiculas seminales. Eodem etiam illud pertinet, si in conceptione extrauterina ovum fere totum resorbetur et pluries nihil nisi ossa comminuta expelluntur, ex quo concludere licet, illa abdominis organa, quae uteri vice fungebantur, et placentam cum membranis et partes fetus molles resorpsisse. Item deciduam Hunteri et reflexam et aquam fetus spuriam tertio graviditatis mense removeri, veri est simile. Eodem modo porro uteri descensum ultimis graviditatis hebdomadibus non esse mechanicum sed in absorptione positum, auctor putat, quum etiam in abortu, quem mulieres quaedam, quotiescunque ventrem prae se ferunt, fere eodem tempore facere solent, uteri descensus semper doloribus ad partum praecedat. Cui sententiae Naegele quoque suffragatur.

Observatio octava (Buerger).

Apud primiparam triginta annorum, quae die 5. M. Septembr. a. 1830 pepererat, placenta remansit. Auctor arcessitus symptomata timenda et illius arte removendi causam non invenit. D. 6. Septbr. puerpera, placenta nondum expulsa, bene se habet, quam solvere auctori placet,

sed frustraneus est labor, quoniam placenta cum utero firmiter coaluit; itaque modo infus. Salviae et Chamomillae per vaginam infunditur. Die 7. Septbr. mane. Puerpera fere totam noctem insomnis transegit, febricitat, cibum fastidit, lingua alba, transpiratio cutis parca; regio iliaca sinistra digito tacta dolet, mammae paululum modo tument, lochia fluunt. Inf. Salviae, Chamom., Chinae etiamnum infunditur et ol. ricini cum extr. hyoscyami praebetur. Vespere: febris et dolor abdominis perdurant, alvus soluta est, lactis fluxus haesitat. Injectionibus vinum rubrum additur et fomenta aromatica ad abdomen applicantur. Die 8. Sept. e puerpera torpente evadit odor putridus, nates, femora, abdomen et antibrachia pemphigo induta sunt, abdomen magis dolet, sed non tumet; diarrhoea exstat. Dec. Chinae cum flor. Arnicae praebetur et injectiones continuantur. Quamquam hic status non ad bonum vergere videbatur, tamen aegra intra dies quatuordecim ex morbo magis magisque convaluit; primum pemphigus, tunc omnia alia, quae timenda erant symptomata cesserunt. Placentae nunquam aliquid in conspectum venit. Hebdomade post partum decima menses apparuerunt et constanter redierunt. Sub finem mens. Januar. uterus ad pristinam formam et magnitudinem redactus fuit.

Observatio nona (Porcher).

Mulier procera triginta trium annorum, quotiescunque praegnaverat, tertio mense abortum fecerat. Quum tertium utero gereret, parva copia aquae ante partum defluit

et dolores, qui mox accedunt, fetum maturum in lucem proferunt. Uterus statim contrahitur et spasmo superato digiti investigantes non facile attingere possunt ejusdem fundum, quocum placenta tam arcte conjunctum est, ut margo ejus discerni nequeat omnisque labor eam solvendi frustraneus sit. Puerpera est expers dolorum; secale corn. autem efficit, ut uterus frequenter se contrahat et fere continuos afferat dolores. Tertio die funiculus umbilicalis et pars membranarum putrida extruditur et foetoris causa calcaria chlorata aqua diluta infunditur. Concitatio totius corporis magna paene per tres hebdomades durabat, intra quod tempus foetor, lochia et dolores intermittebant. Mense elapso, aegra doloribus vehementibus et sensu ponderis in regione uteri cruciabatur; uterus alte in vaginam descenderat et in orificio placenta prehendi, attamen propter contractiones uteri solvi non poterat. Dolores desierunt et aegra melius se habuit, at post hebdomadem dolores reverterunt; os uteri tamen clausum fuit. Aegra iter fecit et anno elapso bona utebatur valetudine. Bis menses redierunt, nunquam autem dolores uteri. Placentae nihil extrusum est.

Observatio decima (Goelzenberger).

Hic medicus placentae partes duas triginta horis post partum removit, parte tertia remanente, id quod plures alii medici, propter magnam haemorrhagiam uteri arcessiti, viderunt. Placentae relictae nihil in conspectum venit et tredecim hebdomadibus post partum menstrua redierunt.

Observatio undecima (Rigby).

Hanc observationem plenam, ut descriptam inveni, exponam. Idibus Martiis a. 1833 mulier triginta novem annorum secundum gravida, quum primum utero gereret, abortum fecerat. Obstetrix dicit, dolores ad partum bonos fuisse. Caput aliquanto tumidum in pelvim parvam descenderat; dolores invalidi. Quum mulier esset robusta, plethorica et pulsus arteriarum citatus, ex brachio sanguinem misi, tunc forcipem applicavi, quae primum, capite inter ossa aperturae inferioris coarctato, non facile induci poterat. Quamvis uterus post partum induresceret, tamen longe ab ossibus pubis distabat et placenta moveri non poterat. Tempore quodam interjecto, manum immisi et partem placentae inferiorem corpore uteri constrictam inveni. Tota superficies tam firmiter adhaesit, ut magno tantum labore solvi posset; circumferentia placentae fuit integra, in crassiore autem parte, quae affixae proxima fuerat, animadvertebatur excavatio, quae magnam partem evulsam et relictam esse docuit. Nulla haemorrhagia. Die 16 Mart. Satis bene quievit, nulli dolores, lochia modica. Die 18 Mart. Sales bis alvum ciebant, neque dolores neque lochiorum foetor aderant. Die 24 Mart. Satis bene se habet, lochia parca, non foetida, dolores omnino nulli, pars solida non extrusa. Quae observatio multa memoratu digna praebet. Uterus clepsydrae instar contractus fuit, quod non inter omnes medicos, qui artem obstetriciam profitentur, constat. Haec contractio apud nos ad clepsydrae instar vocatur, quod uterus medius facile spasmo contrahitur, tanquam se arcto annulo con-

stringatur; multi quidem auctores factum hoc dubitant, stricturam contractione oris uteri effici censentes. Exempli gratia observavit Baudelocque, fibras oris uteri interni circulares, quae doloribus ad partum magis quam ceterae uteri partes tenduntur, eo facilius se contrahere, atque adeo Schmitt Viennensis stricturam ore uteri interni fieri contendit, quod quamvis mihi sit dubium, tamen persuasissimum est, illam crebro ore uteri interno effici, ut Baudelocque docet. Quotiescunque prius hanc rem expertus sum, vidi, eandem ita se habere, ut Baudelocque describit, sed hic strictura supra os uteri fuit evidentior, quam ut minimam temporis partem dubitare possim; si recordamur, placentam fundo uteri fuisse affixam ejusque partem inferiorem constrictam, optimo jure opinari licet, stricturam in corpore uteri fuisse. Quo modo placenta tam inusitata ratione utero affixa sit, neutiquam constat, quum res nondum accurate sectionibus indagata sit, nam inflammationem uteri hoc loco causam continere, opinio est nondum argumentis confirmata. Ea pars placentae, quae in utero remanserat, minimum tertiam totius massae partem aequavit et si non vim uteri resorbentem novissem, manum denuo introducere illamque partem removere coactus essem. Quum vero factis, quae Salomon, Naegele, alii memoriae prodiderunt, persuasissimum mihi esset de hac re, mihi licere existimavi cetera naturae committere. Lochiorum parcorum neque foetor animadvertendus erat, nec aliquid massae solidae in conspectum venerat.

Interdum abortus occurrunt, quibus fetus immaturus quidem editus est, non vero placenta, cujus postea etiam ne minimum quidem vestigium apparuit. Aliquo tempore

interjecto menstrua redierunt, nec raro nova graviditas sine propriis notis accessit. Exempla sunt apposita, totam placentam aut partes ejusdem plures per dies in utero retentas esse, sine ullo putredinis signo, superficies marginesque erant laeves ac vi absorbente conglobati. Dr. Demnan refert, placentam per quindecim dies retentam, parvis putrefactionis vestigiis affectam, expulsam esse; tota superficies, quae affixa erat, recentis distractionis signa praebuit. Aliud exemplum memorabile placentae non remotae affert Dr. Young Edinburgensis. Mulierem, inquit, quae ante duas horas pepererat, ad latus procumbere jussi, ut manu immissa placentam caperem. Partem ejus inferiorem quidem attingere potui, sed nihil aliud, quum uterus saccum quasi, quo circumcludebatur, formasset; nihil ergo restitit, quam ut naturae committerem. Mulier convaluit, nunquam vero placenta abiit.

Observationes novae.

Sub finem mensis Junii anni superioris ad uxorem mercenarii nomine Bondasch hic habitantis arcessor, ut jam quintum decimum parturienti auxilium ferrem. Adveniens partum jam editum vidi, nemine mulieri assistente. Uterum supra ossa pubis deprehendi, sed majorem, quam esse solet et formae irregularis, ad fundum perspicue loco eminente. Postquam ultra horam dolores frustra exspectaveram, placentam usitata ratione digitis promere studui, hanc vero utero inhaerentem nec digito imprimenti cedentem inveni. A conatu igitur incepto, quum periculum non adesset, destiti. Repente autem ingruit

haemorrhagia uteri, facies mulieris jam effetae collabitur, oculi caligant, ut celeriter manum in vaginam immitterem et placentam solvere tentarem; nihil autem efficere potui, quum strictura inferioris partis uteri, quominus intrarem, impediret. Aquam frigidam infudi et Opii granum dimidium cum secal. corn. granis decem praebui, quo facto haemorrhagia sistebatur. Paulo post autem rediit et quum etiam nunc uterum ingredi non possem, Dr. Pelkmann in lechodochio hujus urbis regio adjutorem arcessivi, qui placentam solvere tentans non nisi particulas ejusdem nonnullas promere potuit, cetera, certe partes totius massae duae, restiterunt, quod Busch professor confirmavit. Mulier, se inter ultimam graviditatem crebro dolore cujusdam loci abdominis circumscripto laborasse (quod inflammationem placentae indicat) et placentam prius semel jam utero coaluisse, facile vero solutam esse, dixit. Praebebatur ei inf. secal. corn. cum elix. acid. Halleri et altero die, quum febris levis accessisset, Calomelanos grana quatuor et solutio kali acetici. Uterus non dolebat, illo loco eminente excepto; lochia paululum foetidiora solito, tertio die defecerunt et quarto fluere prorsus desierunt. Placentae relictae nihil lochiis expulsum esse, certo scio. Febris modica per aliquot dies perdurabat, mulier autem tam infirma erat, ut, nisi opio utebatur, somnum capere non posset. Memoratu dignum est, aliquot diebus post partum et oris halitum et saporem et totius corporis evaporationem foetere coepisse, ita quidem, ut puerpera ipsa molestissime id ferret. Die decimo quarto circiter post partum orificium uteri fuit clausum portioque vaginalis in eo statu, quo hoc tempore uti solet. Neque liquidi neque solidi aliquid abierat,

excepto fluore albo, quo mulier jam ex sedecim annis laborat. Quam per sex hebdomades tunc adii semperque infirma atque etiam aegra valetudine utentem inveni, doloribus autem et gravitate abdominis liberam. Hac ipsa hieme, sex mensibus jam post partum praeteritis, bis eam vidi et affirmantem audivi, nihil naturalibus exiisse, nisi fluorem album, quo adhuc laborat.

Alterum casum Busch professor nobiscum communicavit. Arcessitur nuper hic medicus experientissimus ad mulierem, quae modo pepererat et placenta in utero restante, multum sanguinis fundit. Obstetrix, quae illam solvere tentaverat, nihil amplius prompserat, quam funiculum umbilicalem eamque placentae particulam, cui funiculus infixus erat; reliqua pars coronae instar cum utero coaluerat. Prof. Busch, quum advenisset, ab obstetrice rogatur, ut statim, quod relictum erat, promat; quum vero haemorrhagia cessaret et mulier jam fessa confectaque esset, ille rem naturae committendam potius existimans medicamenta praebuit, quae contractiones uteri augerent. Mulier mox convaluit et placentae nihil apparuit. Lochia per tempus usitatum fluxerunt et post novem hebdomades menstrua redierunt.

Haec sunt, quod scio, observationes principes de hac re memoriae traditae. Statum uteri et in graviditate et post partum multasque observationes tam circa animalia quam circa homines considerantes, dubitare non possumus, quin sub conditionibus peculiaribus placenta resorbeatur. Inter has conditiones duae principes sint, altera, ut placenta utero firmitur affixa sit, quod, ut Valsalvae observatio docet, eximium in modum fieri potest, altera, ut aër externus arceatur, ne massa relicta putrescat. In

exemplis, quae attuli, duae res praesertim memoratu dignae sunt, primum, febris, quae plerumque accessit, quam, dum resorptio fieret, durasse statuendum est, deinde exhalationes foetidae a Buerger et a me observatae, quae mihi argumento non exiguo esse videntur, illas partes in utero relictas jamque fortasse putrescentes, in corpus esse reductas. Ceterum non alia colligam argumenta, quippe quibus nihil proficiamus; sufficiat, facta enumerasse, quae quidem tum demum multis probabuntur, quum uterum, qui placentam retentam absorpturus est, dissecare contigerit.

Restat, ut, quid potissimum illis factis objectum sit, afferam. Primum nonnulli, imprimis Mad. Boivin, illa a Naegele, Salomon, aliis prodita eam ob causam dubitant, quod placentam liquefactam cum lochiis effluxisse putant, quod quidem temere proponitur. Mad. Boivin dicit, utero mammalium eandem vim absorbendi inesse quae membranis serosis, quum multae res id comprobent, sed num utero hominis longe diverso eadem insit vis, interrogat, neque hoc dirimit. Quicunque autem reputat systematis genitalium similitudinem cum tractu intestinorum, quum in inferioribus animalium classibus ex uno constent et in superioribus demum separentur, quod Meckel, Carus et Burdach docuerunt, vim aequalem secernendi et absorbendi adjudicare iis non poterit. Secundo quidam putant, facile in hac re errari, quum placenta interdum desit. Ejusmodi sunt quidem exempla et protinus duo afferam, sed hic nullius sunt ponderis, quum in plerisque, quae supra sunt enumerata, placenta digitis prehendi potuerit.

Alterum exemplum a d'Outrepont allatum: Mulier

hysterica viginti septem annorum septimo graviditatis mense vehementes sensit dolores, quibus orificium uteri se aperuit, liquor amnii effluxit et fetus pedibus praeviis apparuit. Post partum spasmi omnis generis, nec non uteri, accesserunt, ita ut os tincae rursus se contraheret. Hora interposita adveniens, puerperam inveni fessam, pallidam, pulsum parvum, uterum supra ossa pubis contractum et funiculum umbilicalem in orificio clauso coarctatum et quum praeterea vomitus et anhelatio vehemens cruciarent, praebui statim tinct. Castorei, laudanum per clysterem injeci et ungu, ex Belladonna supra pubem et vaginae infricari jussi, quo facto spasmi remiserunt. Funiculus umbilicalis manum intendentem cum membranis et sine placenta facile secutus, infixus erat amnio, in quod arteriae et venae diffundebantur radiatae. Uterum, tota manu immissa, vacuum ejusque superficiem internam prorsus laevem neque illum locum asperum inveni, qui semper est, ubi placenta sedem habuit.

Inde chorion et amnion utero molliter adhaesisse apparet. Lochia per quatuordecim tantum dies manabant.

Simile quid Mad. Boivin descripsit. In muliere, quae mense quinto peperit, placentam hujus rationis reperit: massa fuit ambitus ovi gallinacei et cruore abluto, restiterunt duae membranae, in quas arteriae et venae diffundebantur.

Tertio quidam putant, facile eam ob causam in hac re errari, quod placenta interdum longo tempore demum post partum expellatur, id quod exempla doceant, verbi causa, quod Blumenbach (in libro Osiandri) narrat: „Pyrmonti placenta, abortu quarto mense facto, die demum sexagesimo secundo post partum integra expulsa est.

Mulier, quae hoc tempore in praecipiti fuerat, inde convaluit."

Neque hoc quidem ullius ponderis hic est, quum puerperarum, de quibus supra sermo fuit, plurimae longum per tempus curatae et observatae sint.

Denique illud memorabile a Valsalva (Morgagni de sedibus etc.) observatum afferam, quod, quam firmiter placenta cum utero coalescere queat, ostendit: „Mulier annos nata tres et triginta, cum uterum ferens ex uno in alterum locum grave quoddam pondus semel atque iterum transtulisset, fetum quidem septimestrem an octimestrem parit, sed hunc secundae non consequuntur. Postridie febre cum rigore corripitur, qua semper magis magisque invalescente, paucis post diebus respirationis gravitas accedit. Interea foetida materia e naturalibus exibat cum frustris secundarum nonnullis. Denique convulsivi motus et singultus ingruunt, venter valde intumescit et aegra undecimo a partu die moritur. Ventre aperto, intestina et ventriculus flatibus adeo tumida reperta sunt, ut hic quadruplo majus spatium occuparet, quam secundum naturam soleat. Dissecto utero, magna placentae portio occurrit, cujus pars per os uteri propendebat, pars utero arcte adeo affigebatur, ut vix posset cultri etiam ope separari. Erat haec, naturali obscurata structura, in durum corpus et pessime olens constipata. Eam autem, cui adhaeserat, uteri partem altior inflammatio occupabat, quae per reliquam etiam illam faciem sed leviter extendebatur."

LITTERAE.

Michaelis, observationes circa placentae ac funiculi umbilicalis vasa absorbentia. Göttingae 1790.

Uttini, über die einsaugenden Gefäfse des Mutterkuchens, in Meckels Archiv B. II.

Mémoires sur les communications de vaisseaux lymphatiques avec les veines et sur les vaisseaux absorbans du placenta et du cordon umbilical par Fohmann. Liége 1832.

Ueber die Saugadern im Fruchtkuchen und Nabelstrange des Menschen von Dr. v. Fohmann Prof. in Lüttich, in Tiedemann's und Treviranus Zeitschrift B. IV.

Ernst H. Weber, de pulsu, resorptione, auditu annotat. anatom. et physiolog. Lpz. 1834.

Waarnemingen omtrent het lang durig verblyf boven den gewonen dragttijd van gestorvene jongen by de moeder-dieren; door A. Numann, directeur van's Ryks Vee Artsenyschool etc., te Amsterdam by C. G. Sulpke, 1834. (Ueber das Zurückbleiben abgestorbner Früchte im Leibe der Mutterthiere von A. Numann in Utrecht; mit 6 illum. Tafeln). Ein gedrängter Auszug hiervon von Prof. Sebastian zu Gröningen, in Kleinert's Repertorium VIII. Jahrgang, V. Heft.

Dr. C. G. Carus, zur Lehre von Schwangerschaft und Geburt. 2. Abtheil. Lpz. 1822 u. 1824.

Huzard, mémoires de l'institut national des sciences et des arts T. II. Paris.

Mart. Schurigii Embryologia historico-medica p. 230. Dresdae et Lipsiae 1732.

Th. Bartholini, de insolitis partus humani viis dissertat. nova. Hafniae 1664. cap. V. p. 37.

Abhandlungen der K. K. Joseph. med chir. Akademie zu Wien 1787. B. I. p. 225.

A. W. Otto, Handbuch der patholog. Anatomie des Menschen und der Thiere. Breslau 1813. p. 368.

Osiander, die Anzeigen zur Hülfe bei unregelmäfsigen und schweren Geburten. Gött. 1825.

Ueber das gänzliche Zurückbleiben der Nachgeburt oder eines Theiles derselben nach der Austreibung der Frucht, vom Prof. Fr. Nägele, in Kleinert's Repertorium Jahrg. VI. Heft 2, auch in Froriep's Notizen, Biblioth. médical 1829. tom. I. p. 336.

Absorption d'un placenta resté dans l'utérus; par Mr. le Dr. Gabillot de Lyon (in der Zeitschrift „la clinique" tom. V. Nr. 8, auch in Kleinert's Repertorium Jahrg. VI. Heft. 2, und im Journ. de Médicine et de Chirurg. prat. Paris, Sept. 1829.)

Jos. d'Outrepont „Beobachtungen und Bemerkungen" in der gemeins. deutschen Zeitschrift für Geburtskunde. B. V, Heft 4.

Totale Absorption der Placenta von Dr. H. Buerger, Arzt in Berlin; in Rust's Magazin für die ges. Heilkunde, B. 35. Heft. 1. p. 156, auch in Kleinert's Repertorium, Jahrg. V, Heft 12, p. 80.

Ein Fall von zurückgehaltener Placenta von F. G. Porcher in Charleston (Südkarolina) in Kleinert's Repertorium, Jahrg. VII, Heft 4, p. 60.

Ueber das Schwinden im Uterus zurückgebliebener Eihäute und Nachgeburtsreste von Osiander in Göttingen (gemeins. deutsche Zeitschr. f. Geburtsk. B. VII, Heft. 4.)

Madame Boivin, Dr. en médecine, „observations et réflexions sur les cas d'absorption du placenta." Paris 1829.

Ein Fall von Absorption der placenta, von Dr. Rigby. Lond. med. Gazette, Vol. XIV, p. 333.

Morgagni, de sedibus et causis morborum, pars 4, liber 3. epist. 48. art. 28.

VITA.

Natus sum ego, Gustavus Adolphus Philipp, confessioni evangelicae addictus, Cizae, urbe Saxoniae, die septimo mensis Januarii anni hujus saeculi vicesimi septimi, patre Theophilo, matre Sophia e gente Reyher, quibus ut Deus propitius sit, precor. Primis litterarum elementis in schola publica imbutus, ad scholam episcopalem Cizensem me contuli ibique rectore Theophilo Kiessling per septem annos et quadrantem versatus sum. Testimonium maturitatis adeptus vere anni MDCCCXLV ad universitatem Berolinensem discessi et ab Ill. Hecker, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum Ill. Wagner nomen professus sum. Per quadriennium hisce interfui lectionibus.

Philosophorum: Ill. Trendelenburg de logice; Cel. Beneke de morbis animi; Ill. H. Rose de chemia anorganica; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Dove de physice; Ill. Weifs de mineralogia. Medicorum: Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Schultz de botanice, de pathologia plantarum, de physiologia, de corporis ananeosi, de pathologia generali, de homoeopathia et alloeopathia et de materia medica; Ill. Mueller de anatomia corporis humani et organorum sensuum, qui idem una cum Ill. Schlemm dux mihi fuit in cadaveribus rite secandis; Ill. Schlemm de osteologia; Cel. Kranichfeld de hygiologia; Exp. Ebert de morbis infantium; Ill. Juengken de chirurgia et de vulneribus; Ill. Romberg et Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Exp. Nicolai de medicina forensi et de politia medica; Exp. Remak de semiotice microscopica; Exp. Virchow de anatomia pathologica.

Exercitationibus clinicis interfui medicis Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Ill. Romberg; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Dieffenbach, Ill. Juengken, Exp. Angelstein et Ill. Langenbeck; ophthalmiatricis Cel. Kranichfeld per quatuor semestria; obstetriciis Ill. Busch per duo semestria; morborum syphiliticorum Ill. Schmidt; diagnosticae chirurgicae Cel. Boehm per duo semestria, qui simul in operationibus in corporibus mortuis exercendis per duo semestria dux mihi fuit.

Scholis privatissimis interfui Exp. Ebert de auscultatione et percussione, Exp. Credé de operationibus obstetriciis; Exp. Heintz de analysi chemica.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias, quam possum maximas, ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Sinceritas medici, quanto magis aeger in praecipiti est, tanto crescat.
2. Si eo perveneris, ut aliis inserviendo non consumaris, potius crescas, floreas, vincula morbo injicies.
3. Omnis inflammatio vulneribus sanandis adversa est et quae sunt inflammatione libera, ea optime celerrimeque coalescunt.
4. Alcohol venenum est.